

præfatam doctrinam non solum ex cit. c. *Petitio*, sed etiam ex ratione juris apposita sufficienter probari.

Pariter non obstant, quæ ab adversariis obijciuntur c. *Sicut*, 6, § fin. h. t. et c. *Quod in dubiis*, 5, de *Pœnis*, ubi etiam non occidentes, sed hortantes præcise, et juvantes in bello, præsertim clerici videntur irregularitati subjacere. Respondetur enim, utrumque capitulum loqui de bello injusto, uti patet ex textu prioris capituli, et de posteriori bene ostendit Glossa, *Incitant*, ibid.

121. *Etiam clerici in bello justo pugnantes, immunes sunt ab irregularitate, si proprio facto a se nullum occisum esse certi sunt.* — Dices, clericis absolute prohibitum est, manu propria in bello offensivo pugnare, uti teste Palao, tract. XXIX, disp. 6, pun. 15, § 5, n. 3, tradunt fere omnes doctores cum Glossa, in c. *Petitio*, 24, h. t. *Remordet*, arg. can. *Clerici*, 5, can. *Quicumque*, 6, can. 23, q. 8, can. *Clericum qui*, 5, can. *de His clericis*, 36, dist. 50, juncto c. *Ex multo*, 9, ad finem, de *Voto*; ergo saltem clerici sunt irregulares, qui propriis manibus pugnant in bello offensivo justo, ubi aliquis habetur occisus. Resp. concesso anteced. negando consequ., quia ex eo, quod clerici prohibeantur propria manu pugnare in bello justo, non bene contra illos infertur irregularitas, utpote quæ non contrahitur, nisi in casibus a jure expressis, cit. c. *Is qui*, 18, de *Sentent. excomm.* in 6.

122. *In dubio autem, num a se aliquis in bello sit occisus, pro irregulari se habere debet, tam laicus, quam clericus.* — Illud tamen notandum, quod si quis sive clericus, sive laicus rationabiliter dubitet, an non proprio facto aliquem in bello offensivo justo occiderit, aut mutilaverit, pro irregulari se habere debeat, arg. c. *Petitio*, 24, h. t. ibi: « Cum sit consultius in hujusmodi dubio abstinere, quam celebrare: » si vero dubium rationabile non est, sed leve, vel potius scrupulus, videtur melior esse conditio possidentis jus accipiendi, vel administrandi ordines. Engel, h. t. n. 58.

123 et 124. *In bello justo defensivo ab irregularitate immunes sunt tam clerici, quam laici, qui pro defensione propriæ personæ, vel Ecclesiæ aut patriæ proprio facto aliquem occidunt.* — Resp. III. Quantum ad bellum defensivum justum: imprimis certum est, tam clericum quam laicum ab irregularitate immunem esse, qui etiam propria manu ali-

quem occidit, vel mutilat ad defensionem propriæ suæ personæ, prout facile contingere potest capellanis castrensibus, qui exhortandi, vel spiritualiter assistendi causa præsentibus, ab uno, vel pluribus inimicis ita angustiantur, ut nisi occidant, ipsi in periculo vitæ sint. Suarez, de *Censur.* disp. 47, sect. 5, n. 1; Palao, tr. XXIX, disp. 6, pun. 14, § 5, n. 4; Pirhing, h. t. n. 115, cum communi, arg. c. 2, de *Immunitat. ecclesiast.* Ratio est, quia hoc absque irregularitate fieri potest in rixa privata per dicta supra; arg. Clem. *Si furiosus*, h. t. ergo multo magis in publico justo bello defensivo.

Pariter ab irregularitate immunes sunt tam clerici, quam laici, qui in bello defensivo justo necessario pugnantes, ad defensionem Ecclesiæ, vel patriæ aliquem etiam propria manu occidunt, vel mutilant. Suarez, loc. cit.; Palao, loc. cit.; Coninch, disp. 18, dub. 10, n. 96; Abbas, in c. penult. h. t. n. 2, et ibi Barbosa, n. 2; Molina, de *Justit.* tr. II, disp. 118; Pirhing, h. t. n. 115, cum communi, arg. cit. c. 2, de *Immunitat. ecclesiast.* Ratio est, quia defensio Ecclesiæ, et patriæ non minus, sed magis favorabilis est, quam propriæ, vel alterius vitæ privatæ, l. *Utilitas*, 3, c. de *Præmissis*; ergo si ob hanc, multo magis ob illius necessariam defensionem absque irregularitate licet occidere, et mutilare.

125. *Si necessario in tali bello pugnant.* — Dicitur autem notanter necessario pugnantes; quia si clericus ad pugnandum necessarius non est, ut in casu, quod sufficientes ad pugnandam, et defendendam Ecclesiam, vel patriam adsunt laici, utique irregularis fieret, si propria manu etiam sub prætextu defendendi Ecclesiam, aut patriam, aliquem occideret, vel mutilaret, Layman, lib. III, tr. III, p. 3, cap. ix, n. 2; Abbas, in c. *Petitio*, h. t.; Sylvester, *Homicidium*, § q. 6; Pirhing, h. t. n. 115, arg. cit. c. *Petitio*, 24, h. t.

126. *Secus est de illis, qui, aliis militibus ad bellandum sufficienter existentibus, sponte et non necessario nomen militiæ dant, vel ibi pugnant, et occidunt, præsertim clerici. Et num. præced.* — Imo Engel, h. t. n. 58, universaliter et indistincte de cunctis, etiam laicis docere videtur, quod omnes, qui in aliquo bello quocumque tandem justo, v. g. ad defendendam Ecclesiam, vel patriam vigente, non necessario vel coacte, sed libere

pugnantes aliquem occidunt, vel mutilant, irregulares evadant, arg. Clem. un. h. t. ubi illi duntaxat occidentes, vel mutilantes ab irregularitate excusantur, qui mortem aliter evitare non valentes id faciunt, quod non verificatur in illis, qui ad defendendam Ecclesiam, vel patriam sufficienter existentibus aliis militibus, non necessario, sed libere et sponte, ac gratis seu pro stipendio pugnant, aut nomen militiæ dant, sicque occidunt, vel mutilant. Idque confirmari potest a pari in publicis ministris justitiæ, utpote qui licet pro conservando bono publico patriæ malefactores occidunt; tamen irregulares fiunt ex eo, quod officium hujusmodi libere assumpserint, per dicta supra n. 105.

127. *Quomvis etiam hos saltem laicos ab irregularitate excusent aliqui.* — Secus foret, et ab irregularitate immunes laici essent, qui pro defendenda Ecclesia, vel patria necessario pugnantes, utpote ad id auctoritate publica adacti, vel in tali bello nomen militiæ ideo dantes, aut pugnantes, quia vident, non adesse sufficientes milites, vel alios ad resistendum hosti, et defendendam Ecclesiam. Imo plures doctores, uti videre est apud Layman, loc. cit. absolute volunt, omnes laicos etiam libere pugnantes in bello defensivo justo ad defensionem Ecclesiæ, vel patriæ ab irregularitate excusari; non item clericos, quia hos absque necessitate, propria manu pugnare non convenit.

128 et 129. *Doctrina practica pro favore illorum, qui sunt vel fuerunt milites, in causa irregularitatis.* — Cæterum ex hactenus dictis n. 115, colligitur, non esse bonam consequentiam; iste est, vel fuit miles; ergo est irregularis; vel ergo non potest ordinari; vel si jam ordinatus est, non potest celebrare. Nam debet examinari, an etiam et in quali bello, justo vel injusto, offensivo, vel defensivo pugnaverit? an, et quomodo occiderit aliquem, vel mutilaverit? Si enim sit simpliciter miles, qui semper in præsentibus existens, aut alias nunquam in bello pugnavit, nec aliquem occidit, vel mutilavit, mentiquam irregularis est, cum nullo jure inveniatur statuta aliqua irregularitas aliquem, quod sit, vel fuerit miles.

Pariter irregularis non est, si in castris quidem, et in conflictu, ita tamen collocatus fuit, ut sclopetum, vel sagittam in hostem nunquam emisit, vel gladium, aut aliud armorum genus contra aliquem adhi-

bendi, eumque occidendi, vel mutilandi nullam occasionem habuerit

## § IV.

DE HOMICIDIO, ET MUTILATIONE OB NECESSARIAM SUI DEFENSIONEM FACTA: ET IRREGULARITATE INDE SECUTA.

130. *Ob defensionem propriæ vitæ et membrorum licitum est occidere injustum aggressorem.* — Quæritur I. An, et quomodo liceat occidere aliquem ob defensionem vitæ, et membrorum? Resp. I. Cuius licitum est, pro necessaria defensione propriæ vitæ, et corporis, servato moderamine inculpatae tutelæ injustum aggressorem occidere. Unanimis, et certa. Ratio est, quia jure naturali, divino, et humano permissum est, injustam vim vi repellere, textu expresso c. *Significasti*, 18, § fin. h. t. cum concordantiis, ibi: Vim vi repellere omnes leges, et omnia jura permittunt.

131. *Servato moderamine inculpatae tutelæ.* — Dicitur autem notanter, servato moderamine inculpatae tutelæ; quia hoc nisi servetur, homicidium etiam ob sui defensionem factum, illicitum, esse, rursus omnes fatentur, arg. c. *Significasti*, 18, h. t. ibi: Tamen id fieri debet cum moderamine inculpatae tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam. Censetur autem tunc adhiberi moderamen inculpatae tutelæ, quando quis occidit solum, quia revera in conscientia, sine fraude et dolo putat se non posse evadere, sed periclitari in vita et corpore, nisi occidat injustum invasorem, prout jam diximus in Theologia nostra Moral. tract. 9, dist. 2, q. 2, n. 17.

132. *Ad quod servandum requiruntur tria: I. Videlicet injusta aggressio ab altero facta.* — Porro ad dignoscendum moderamen inculpatae tutelæ, Clarus § *Homicidium*, n. 34, tria requirit, quod idem in re exigunt alii doctores, videlicet I. Causam II. Modum III. Tempus. Primo itaque requiritur, ut occasionem præcedat causa, injusta nempe invasio; quia si quis ante hanc occidit, jam non sui defensio, sed alterius aggressio erit: sufficit tamen certo prævisa; quia non est necesse expectare, sed licet prævenire injuste aggredi volentem; præsertim si quis merito timet, quod, nisi præveniat, adversario, mox vel certe aggressuro sufficienter resistere non possit; quia in tali casu præ-

ventio, non aggressio, sed justa defensio contra certo imminens injustam aggressionem est, ut bene advertit Navarrus lib. V. Consil. h. t. Consil. 31, et in Man. cap. xv, num. 2, in fine. Suarez de Censur. disp. 46, sect. 1, n. 7. Pirhing h. t. n. 92. Debet autem invasio præcedens, aut certe imminens esse injusta; hinc pro defensione vitæ suæ non licet occidere invadentes Ministros justitiæ, quia hi juste invadunt, ut post Avilam de Censur. p. 3, disp. 5, sect. 3, dub. 3. Conclus. 4, et alios, bene observat Pirhing loc. cit.

133. II. *Modus in quo consistat?* — Secundo requiritur debitus modus defensionis, ita ut hæc injustæ invasioni, aut offensioni sit proportionata, et necessariam defensionem non excedens, arg. c. ut famæ. 33, de Sentent. Excomm. ibi: dum tamen non amplius eorum violentia se extendat, quam defensio exigit, juncta l. scientiam, § 4, ff. ad Legem Aquil. Hinc modum, et moderamen inculpatæ tutelæ excedit, qui illum, a quo quis pugnis ceditur, vel levem aggressionem patitur, armis repellit, mutilat, vel occidit: Item, qui occidit eum, quem vulnerando, vel mutilando repellere, propriamque vitam, et membra tueri potest; item si quis injustum aggressorem occidit, quem pugno, baculo, percussione non lethali, vel exarmando illum, abigere, et vincere potest, modum excedit, moderamen inculpatæ tutelæ non servat, et occidendo illicite agit: sicut etiam ille, qui sine gravi suo incommodo aut periculo fugere, aut clamare, et auxilium implorando salvare se posset, et tamen occidit, per dicta. Sylvester *¶ Homicidium*, 3, q. 4, dict. 1. Pirhing h. t. n. 92.

134. III. *Tempus, videlicet, ut in continenti fiat defensio, et non ex intervallo.* — Tertio requiritur tempus, ut videlicet occisio, ad sui defensionem in continenti fiat; quo quis injustam vim, vel aggressivam occisivam, aut mutilationem patitur, vel certo imminens cognoscit; non vero postea et intervallo, postquam aggressor jam abiit, aut nocere et aggredi destitit, nullumque amplius periculum est; arg. c. Si vero de Sentent. excomm. ibi: Si in continenti vim vi repellat. Concordat l. quod est. § 9, ff. de vi armata. Ratio est, quia si ex intervallo adversarium quis occidit, postquam amplius nocere non vult, vel non potest, vel metuendus non est, jam non amplius ex necessaria sui defensione, sed ex vindicta, con-

sequenter illicite agit; prout cum Communi aliorum late deducit Farinacius in *Praxi crimin.* q. 125, a num. 336.

135. *Nisi certum periculum novæ periculosæ aggressionis foret.* — Notant tamen merito doctores, quod sicut nullus exspectare, donec eum alter actu aggrediatur, sed sufficiat, si aggressionem injustam certo imminens sciat, ad hoc, ut pro defensione vitæ, et corporis illum occidere valeat, ita etiam possit eundem occidere, postquam aggredi jam cessavit, et aufugit, si certum periculum sit novæ invasionis; quia in tali casu præventio nec vindicta, nec injusta aggressio, sed pura defensio foret, juxta jam dicta supra, Pirhing h. t. n. 92. Navarrus Man. cap. xv, n. 2, in fine, etiam diximus in Theologia nostra *moral.*, tract. 9, dist. 2, q. 2, n. 18.

136. — *Num tria hæc observata sint, arbitrio judicis multum relinquuntur.* — Cæterum num tria hæc ad moderamen inculpatæ tutelæ requisita, rite sint observata, relinquendum est prudentiæ et arbitrio judicis. Farinacius loc. cit. Pirhing h. t. loc. cit. et communis aliorum. Ratio est, quia de factis particularibus ob varias circumstantias certa regula tradi non potest.

137. *Etiam ob defensionem vitæ, vel membrorum proximi innocentis licitum est occidere injustum aggressorem.* — Resp. II. Etiam pro defensione vitæ, et membrorum parentis, uxoris, proles, fratris, sororis, conjunctorum, imo et extraneorum innocentium licitum est, iniquum aggressorem servato moderamine inculpatæ tutelæ occidere. Farinac. in *praxi crimin.* q. 124, a n. 267. Clarus *¶ Homicidium* n. 27, dicens esse ab omnibus doctoribus approbatum, arg. can. Fortitudo 5, cau. 23, q. 3, ibi; Fortitudo, quæ vel in bello tuetur a Barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel a latronibus socios, plenæ justitiæ est. can. Non inferenda. 7, can. qui potest. 8, ead. cau. et q. juncto c. Dilecto. § 6. Et quidem. de sentent. Excomm. in 6. Ubi etiam injuriæ, et criminis solius reus censetur, qui dum potest, innocentem non defendit; qui enim non repellit a socio injuriam, dicitur cit. can. non inferenda, tam est, quam ille, qui facit. Concordat l. 1, § 4, ff. Ad legem Cornel. de Sicar. Et constitutio Carolina art. 150, § Item so einer. Ratio est, quia non tantum possumus, sed etiam jubemur diligere, consequenter etiam defendere proximum, sicut

nos ipsos, juxta illud: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Unde per Spiritum Sanctum laudatur Moyses, quod Ægyptium injustum aggressorem Hebræi cujusdam occiderit, et absconderit in sabulo, Exodi cap. II, v. 11.

138. *Imo etiam ob defensionem bonorum temporalium.* — Quæritur II. Num etiam licitum sit ob defensionem bonorum fortunæ occidere injustum invasorem? Resp. Affirmative, si bona sunt magni momenti, et aliter defendi vel recuperari non possunt. Covarruvias in Clement. Si furiosus. p. 3, § un. nu. 6, in fine. Castro Palao de Censuris. disp. 6, pun. 15, n. 7, et seqq. Suarez de Censuris. disp. 46, sect. 2, n. 10. Lessius, lib. II, de Just. cap. ix, dub. 11. Clarus *¶ Homicidium*, a n. 26. Petrus Navarrus lib. III, de Restit. cap. ix, n. 418, cum satis communi aliorum, arg. l. 1, c. unde vi, ubi etiam universaliter concedi videtur illis verbis: Recte possidenti ad defendendam possessionem, quam sine vitio tenebat, inculpatæ tutelæ moderamine illatam vim propulsare licet: consequenter etiam occidere, si occisio ad defensionem est necessaria; cum permissio sine permittantur etiam media ad illum consequendum necessaria, arg. c. Præterea 5, de Offic. et potest. Judic. delegati. l. 2 ff. de Jurisd. cum concordantiis: concordat l. Furem. 9, ff. ad Legem Cornel. de Sicar. Ratio est, tum quia res et bona nostra utpote ad vitam conservandam necessaria, vitæ quodammodo comparantur, l. Advocati 14. C. de Advocatis diversor. judicior. et ibi Glossa communiter recepta: Tum quia, si pro defensione bonorum necessaria non liceret occidere injustum invasorem, improbi multum moverentur ad diripienda bona nostra.

139. *Si sunt magni momenti.* — Dicitur autem notanter, si bona sunt magni momenti, et aliter defendi, aut recuperari non valent; quia, quod ob res levis momenti occidere non liceat aggressorem, hodie certum videtur ex decreto Innocentii XI, sequentem doctrinam damnantis: Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei. Pariter non licet occidere, si res alio modo defendi, aut iterum recuperari possunt, quia tunc non servaretur moderamen inculpatæ tutelæ, consequenter illicite ageretur, arg. cit. l. 1. C. unde vi. Hinc bene infert Clarus loc. cit. num. 47, non licere occidere invasorem bonorum, v. g. furem, si clamando, quis potest habere

aliorum auxilium, et rem suam defendere, vel recuperare, vel si potest furem capere, vel si habet testes, quibus potest in judicio, vel alio modo rem ab eo iterum recuperare.

140. *Non licet tamen occidere injustum judicem, advocatum et testem grave damnum temporale illaturos.* — Resp. II. Insuper interficere non licet iniquum accusatorem, testem, vel judicem, etsi ab eis grave damnum temporale imminet; quia ab Alexandro VII, absolute damnata est doctrina sequens: Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, et falsum judicem, a quo iniqua certe imminet sententia; si alia via non potest innocens damnum evitare. Ratio est, quia admissa hac propositione, innumera sequerentur absurda, et mala: dum amore proprio multi excæcati se reputarent, et dicerent innocentes, etiamsi tales non essent, et occidere niterentur præfatas personas: Et ipsi quoque judices, accusatores, et testes, ut securos se redderent, reum vel judicialiter, vel privatim occiderent, etiam non exigente justitia, aut occidi facerent, ut consideranti patet.

141. *Nec pro acquirendis eis, quæ nondum possidemus.* — Resp. III. Non licet defendere defensione occisiva, ea, ad quæ jus inchoatum habemus, et quæ nos possessuros speramus; quia hoc etiam damnatum est ab Innocentio XI in sequenti propositione, quæ inter damnatas 32, est, ita sonans: Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, et quæ nos possessuros speremus.

142. *V. g. hæreditates, legata, etc.* — Resp. IV. Pariter condemnatum est dicere: Licitum est tam hæredi, quam legatario contra injuste impediens, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur se taliter (id est defensione occisiva) defendere: sicut et jus habenti in cathedram, vel præbendam contra earum possessionem injuste impediens. Rationem multiplicem, et fundamenta utriusque conclusionis, justæque damnationis harum propositionum, vide apud theologos, præsertim illos, qui in propositiones damnatas scripserunt.

143. *Num liceat pro necessaria defensione honoris et famæ occidere?* — Quæritur III. Utrum liceat etiam pro necessaria defensione honoris, et famæ occidere? Resp. Quamvis multi Doctores, inter quos est Tanner. tom. III, disp. 4, q. 8, n. 73; Suarez, de

*Censuris*, disp. 46, sect. 1, n. 5 et 6, affirmat, eo quod pro necessaria defensione honorum fortunæ id liceat, juxta dicta a n. 138, consequenter a minore ad majus pro necessaria defensione honorum famæ, et honoris, utpote quæ longe majoris et præstantioris sunt ordinis, quam bona fortunæ, vitæque magis æquiparentur, quam ista, adeo ut vir honestus plus metuat gravem jacturam famæ et honoris, quam vitæ, l. *Isti*, 8, § penult. ff. *Quod metus causa* ibi: Cum viris bonis iste metus major, quam mortis esse debet. Nihilominus cautissime in usu hujus doctrinæ procedendum; cum rarissime detur casus, in quo pro defensione famæ et honoris liceat occidere, eo quod ordinarie loquendo vel fama et honor alia via salvari queat, sicque occisio non fiat servato moderamine inculpatae tutelæ, vel hujusmodi occisio vindictam spiret: vel si passim concederetur, in perniciem reipublicæ redundaret, uti videre est apud theologos scribentes in propositiones damnatas; inter quas ad propositum etiam sunt sequentes, quarum damnatio id, quod hic dicimus, confirmat: imprimis illa, quam allegavimus n. 140.

144. *Propositiones damnatæ ad propositum afferuntur.* — Dein damnata ab Alexandro VII, ordine 17, sic sonans: Est licitum religioso, vel clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua religione spargere minitantem occidere, quando alius modus se defendendi non suppetit; aut suppetere non videtur, uti si calumniator sit paratus, vel ipsi religioso, vel ejus religioni, publice vel coram gravissimis viris prædictum impingere, nisi occidatur.

145. *Qui pro defensione propriæ vitæ, aut membrorum injustum occidit invasorem, irregularis non est.* — Item illa ordine 30, damnata ab Innocentio XI: Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc calumnia vitari nequit: idque quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, et post impactam alapam, vel ictum fustis, statim fugit.

146. Quæritur IV. An, et quando irregularitatem contrahat, qui pro justa defensione vitæ, membrorum, vel honorum famæ, honoris, vel fortunæ proximum occidit? Resp. I. Qui servato moderamine inculpatae tutelæ ob necessariam defensionem propriæ vitæ, aut membrorum injustam occidit invasorem, non tantum a culpa sed etiam ab ir-

regularitate, omnique alia pœna immunis est. Covarruvias, in *Clement.*, un. h. t. p. 3, § un. 1. Castro Palao, de *Censuris*, disp. 6, pun. 8, n. 1. Suarez, de *Censuris*, disp. 46, sect. 1, n. 4. Barbosa, in cit. *Clem. un. h. t.* a n. 11. Navarrus, in *Man.*, cap. xxvii, n. 207 et 212. Pirhing, h. t. n. 77. Cum communi, et hodie certa aliorum arg. cit. *Clem. un. h. t.* ubi dicitur, illum non incurrere irregularitatem, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit, vel mutilat invasorem. Ratio est, quia talis non incurrit irregularitatem ex delicto; cum tale homicidium careat omni culpa per dicta supra n. 130, nec ex defectu lenitatis, quia hic non intervenit, ubi cædes ex necessaria defensione fit; ergo.

147. *Nisi excedat moderamen inculpatae tutelæ.* — Dices can. de *His*. 6, et can. *Si quis*. 8, dist. 50, expresse statutum habetur, etiam illos, qui pro sui defensione alium occidunt, ab ordine repelli, consequenter irregulares esse; et in concil. Trident. sess. 14, de *Reform.*, cap. vii, ordinario loci committitur dispensatio cum illo, qui etiam vim vi repellendo, suum occidit invasorem; ergo conclusio non subsistit. Resp. canones antiquos loqui de illis, qui non servato moderamine inculpatae tutelæ occidunt, uti bene observat communiter recepta Glossa, fin. in cit. can. de *His*, et in can. *Si quis*, §. *Dispensatione*. Pariter concilium Tridentinum loqui censetur de illis præcise, qui vim vi repellentes excedunt moderamen inculpatae tutelæ, ut cum communi aliorum bene observat Suarez, loc. cit. n. 3. Barbosa, de *Offic. et potest. episc. Allegat.* 30, n. 54. Pirhing, h. t. num. 77. allegans pro hoc declarationem cardinalium. Ratio etiam responsionis utriusque est, tum quia, ut colligitur ex textu *Clem. un. h. t.* non inducitur jus novum, sed potius declaratur antiquum, tum quia patres concilii Tridentini non videntur voluisse corrigere, et revocare jus antiquum a Clemente V declaratum, et novam irregularitatem inducere.

148. *Qui, dum fuga salvare se posset, occidit, irregularis est.* — Dicitur tamen notanter, qui servato moderamine inculpatae tutelæ; eum enim qui dicto moderamine non servato occidit, irregularem esse, omnes fatentur. Probatum tum ex juribus non præced. citatis: tum ex cit. *Clem. un. h. t.* ubi ab irregularitate solum excipitur, qui mortem aliter vitare non valens, conse-

quenter si servato moderamine inculpatae tutelæ occidit; ergo a sensu contrario, qui aliter vitam servare valens, consequenter qui moderamen inculpatae tutelæ excedens irregularis est. Porro quando quis censeatur servare, aut excedere moderamen inculpatae tutelæ, habes supra a n. 132.

149. *Si fuga eidem in fama, et honore graviter præjudiciosa non est.* — At controversia non modica est inter doctores, num moderamen inculpatae tutelæ excedere, consequenter irregularitatem contrahere videatur, qui injustum invasorem occidit casu, quo fuga salvare se potest. Et quidem Abbas, in c. *Olim*. il. I. de *Restitut. spoliat.* n. 28. Sylvester, §. *Excommunicatio*. 6, q. 9. Navarrus, cap. xxvii, num. 211. Barbosa, in *Clement. un. h. t.* n. 23, cum Glossa, ibid. §. Non valens, communiter recepta absolute volunt, talem esse irregularem, eo quod cit. *Clem.* solummodo illum excipit, qui mortem aliter vitare non valens occidit, qualis non est, qui fuga salvare se potest.

150. *Secus res se habet si præjudiciosa est. Fama et honor æquiparantur vitæ: imo subindemagis æstimantur.* — Covarruvias, e contra in cit. *Clem.* p. 3, § un. n. 1 et 4. Suarez, de *Censuris*, disp. 46, sect. 1, n. 5. Bonacina, de *Censuris*, disp. 7, q. 4, pun. 6, n. 4. Castro Palao, de *Censuris*, disp. 6, pun. 8, n. 5. Petrus Navarrus, lib. II, de *Restitut.*, cap. III, num. 418, et alii distinctione utuntur docendo, illos, qui sine gravi infamia, dedecore, aut honoris jactura fugere, fugiendoque vitam, et membra salvare possunt, uti clerici, religiosi, plebei, ignoti; item nobiles, si aggressio de nocte, vel ita in occulto fit, ut fuga lateat, consequenter exinde etiam talis in fama et honore nullam patiatur gravem jacturam, omnino incurrere irregularitatem ob fundamentum supra num. præced. allegatum.

151. *Qui occidit aggressorem, quam prius injuria ad aggrediendum inique incitavit, non est irregularis.* — Illos vero, quibus fuga esset multum ignominiosa, famæque et honori graviter præjudiciosa, uti sunt milites, præsertim officiales, et belli duces, item viri nobiles sæculares, irregularitatem non incurrere, si injustum aggressorem occidunt, vel mutilent, etsi hujusmodi ignominiosa fuga vitam et membra sua salvare possent. Ratio est, tum quia fama et honor æquiparantur vitæ, arg. I. *Justa causa*, 9, ff. de *Monumiss. vindicta*; imo subinde præsertim apud

viros nobiles præfertur, l. *Isti*, 8, n. 2, ff. *Quod metus causa*, ibi: Cum viris bonis iste metus major, quam mortis esse debet. Tum quia hujusmodi homicidium non est absolute voluntarium, sed quodammodo necessarium, et inevitabile ad avertendam gravem ignominiam gravemque jacturam famæ et honoris, vitæ comparatæ: consequenter ob paritatem rationis ab irregularitate vi *Clem. un. h. t.* immune; sicut ob rationis paritatem ab eadem irregularitate immunis est, qui servato moderamine occidit invasorem ebrium, etsi in dicta *Clement.* solus furiosus expressus sit. Palao, loc. cit. Et per hæc patet responsio ad fundamentum contrarium n. 148, adductum; quia videlicet in tali casu quis mortem, vel morti æquivalens, eamque superans gravem nempe ignominiam, graviterque præjudiciosam famæ, et honoris jacturam vitare non valet.

Alia controversia ad propositum de casu, quo quis contumeliosis verbis, alapa, adulterio uxoris, vel alia injuria alium injuste afficit, indeque eum ita irritat, ut injuriantem occidere nitatur: controversia, inquam, est, num talem necare intendentem occidens, sit irregularis? Ad quam Sylvester, §. *Homicidium*, 8, q. 8. Sotus, lib. V, de *Justit.* q. 1, art. 9, et alii negative respondent; nisi talis præcedente sua injuria inferenda, hujusmodi homicidii periculum prævideret. Ratio est, quia etsi quis male agat, si alium injuriosis verbis, alapa, etc., ad iram et vindictam irritet, et culpabilis causa illius sit; tamen exinde nullum tribuitur jus alteri propria auctoritate lethaliter se vindicandi, et mortem intentandi; quare si eam nihilominus attentat, injustus aggressor vitæ est; consequenter servato moderamine inculpatae tutelæ absque irregularitatis nota occidi potest, per jura supra n. 145, allegata.

152. *Nisi fugiendo salvare se possit.* — Recte tamen post Palao notat Suarez, et Coninch, quod si in tali casu prius injurians fugere, et fugiendo vitam salvare potest, teneatur; quia ei tam ignominiosum est, fugere iram illius, quem injuste prius irritavit.

153. *Vel nisi periculum homicidii ex sua injuria secutum prævidit.* — Dicitur autem notanter n. 151. Nisi talis ex præcedente sua injuria inferenda hujusmodi homicidii periculum prævideret; quia in tali casu occidentem, esse irregularem, bene docet